

si αὐτοῦ γραφὰ modo Virorum Sanctissimorum superessent. Non possum uero quin uehementer mirer, quamobrem Pontificii huius rei adeo incurii sint, qui talia αὐτοῦ γραφὰ penes se seruari iactitant. Forſan causae ſuae metuunt, aut de ueritate illorum codicum non ſatis ſunt perſuaſi. Pri- dem enim Viri, qui reliquis ſunt cordatiores, ſuſpectum habuere αὐτοῦ γραφὸν S. Marci, tanta, dicam ne religione, an ſuperſtitione, Venetiis aſſeruatum. Baronius ad annum Chr. 45. 41. id *traditione magis, quam antiquorum certo testimonio ferri*, contendit. Rich. Simonio in Hiſt. Crit. N. T. c. IV. nihil maiori dignum exſibilatione, quam haec Venetorum traditio, de Euangelio Marci, apud ſe aſſeruato, uidetur. Et Mabillonio id in primis ſuſpicionem mouit, quod codex, ſi- gillis munitus, nemini ad euoluendum concedatur.

IX. Eſſi uero cum rationibus, quamobrem Maldona- tus, Simonius, et alii ex Romanenſibus de αὐθεντία titu- lorum detrahunt, nihil mihi ſit negotii, adſunt tamen aliae, quae facile eandem mihi ſententiam perſuadent. Ne- mo negauerit, ſtandum nobis potiffimum in hoc eſſe ar- gumento testimoniis antiquorum, qui illis temporibus pro- priores fuere, et codices habuere uetuiſtiſſimos, ex quibus res, me iudice, omnium optime conficitur. Quamuis e- nim titulos plerumque libris praefixerint auctores, tamen non raro, certis de cauſis, illos omiſerunt. Vt adeo hic non quaestio, quam dicunt, iuris, ſed facti inſtituatur. Quaestio autem facti ex monimentis uult decidi, non ra- tionibus, quippe quae tantum docent, quid fieri oport- uerit, non autem, quid factum ſit. Audiamus nunc ue- teres. Ioannes Chryſoſtomus Hom. I. in Ep. ad Rom. Μωσῆς, inquit, μὲν πέντε βιβλία γράψας ἔδωκε τὸ ὄνομα τὸ ἐαυτοῦ τέθηκεν, οὐδὲ, οἱ μετ' ἐκείνον, τὰ μετ' ἐκείνον συν- θεύτες· ἀλλ' οὐδὲ Ματθαῖος, οὐδὲ Ἰωάννης, οὐ Μάρκος, οὐ Λου- κᾶς. Ὁ δὲ μακάριος Παῦλος πανταχοῦ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ τὸ ὄνομα αὐτοῦ προτίθησι. Huic iungo ex Sec. III. Diony- ſium Alexandrinum, qui ſpeciatiſſime de Ioanne affirmat,  
quod